Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31650
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

violas misceas. pro corona spinea. in qua mun-
di peccata xpistus portavit. talia ei serta com-
pone. Letetur et adviv[a]t nobilissimus pater
tuus. discat a filia, quod didicerat ab uxore.
Iam incanuit caput. tremunt genua.
dentes cadunt. et frontem rugis obscuram
arat. Vicina est mors in foribus. designatur
rogus prope. velimus nolimus senes sumus. Pa-
ret sibi viaticum. quod longo itinere necessa-
rium est. secum portet quod invitus dimissurus
est. immo premittat in celum. quod si negave-
rit terra sumptura est. Solent adoles-
centule vidue. quarum nonnulle abierunt
retro post satanan, cum luxuriate fuerint in
xpisto nubere volentes dicere. Patrimoniolum meum
cottidie perit. maiorum hereditas dissipatur.
servus contumeliose locutus est. imperium
ancilla neglexit. Quis procedit ad publicum?
quis respondebit pro agrorum tributis? Par-
vulos meos quis erudiet? vernulas quis
educabit? Et hanc proh nefas causam op-
ponunt matrimonii. que vel sola debuit
nuptias impedire. Superducit mater filiis
non vitricum sed hostem. non parentem sed
tyrannum. Inflammata libidine, oblivis-
citur uteri sui. et inter parvulos suas mise-
rias nescientes. lugens dudum nova nup-
ta componitur. Quid obtendis patrimonium?
quid superbiam servulorum? Confitere tur-
pitudinem. Nulla ducit idcirco maritum,
ut cum marito non dormiat. Aut si certe
libido non stimulat. que tanta insania est.
in morem scortorum prostituere castitatem, ut
augeantur divitie? et propter rem vilem atque
perituram, pudicicia que preciosa et eterna est
polluatur? Si habes liberos. nuptias
quid queris? Si non habes. quare expertam non
metuis sterilitatem? et rem incertam, certo
prefers pudori? Scribuntur tibi nunc spon-
sales tabule, ut post paululum, testamentum
facere compellaris. Simulabitur mariti in-
firmitas. et quod te morituram facere volet,
ipse victurus faciet. Aut si evenerit, ut
et de secundo marito habeas filios. domestica
pugna, intestinum prelium. Non licebit tibi
amare liberos. nec equis aspicere oculis quos
genuisti. Clam porriges cibos. invidebit
mortuo. et nisi oderis filios. adhuc eorum vide-
beris amare patrem. Quod si de priore uxore
habens sobolem, te domum introduxerit.
etiam si clementissima fueris. omnes comedie
et mimographi. et communes rhetorum loci. in
sevissimam novercam declamabunt.
Si privignus langueritque, et condoluerit ca-
put. infamaberis ut venefica. si non de-
deris cibos, crudelis. si dederis, malefica dice-
ris. Oro te quid habent tantum boni secunde
nuptie, ut hec mala valeant compensare?
Volumus scire quales esse debeant vidue. le-
gamus evangelium secundum lucam. Erat inquit
anna prophetissa, filia phanuel de tribu asser.
Anna interpretatur gratia. phanuel in nostra lin-
gua resonat vultus dei. asser vel in beatitu-
dinem. vel in divicias vertitur. Quia igitur ab
adolescentia usque ad octoginta quatuor an-
nos viduitatis onus sustinuerat. non recede-
bat de templo dei. diebus ac noctibus insis-
tens ieiuniis et orationibus. idcirco meruit
gratiam spiritalem et nuncupatur filia vultus
dei. et atavi beatitudine divitiisque censetur.
Recordemur vidue sareptene, que et sue
et filiorum saluti, helie pretulit famem. et

nota de viduis